



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-570013-p0002-1

DFG

DISPUTATIO IN AUGURALIS

396.

JURIDICA

De

**REMISSIONE MER-
CEDIS FACIENDA CONDU-
CTORI OB STERILI-
TATEM**

1648, 13.

directa ad explicationem,

L. Licet 8. C. de Locat. Condu&t.

Quām

PRÆSIDE

**SACROSANCTA ET INDIVIDUA
TRINITATE**

Ex Decreto & Autoritate

*Magnifici, Nobilissimi, & Amplissimi
Juris consalторum in celeberrima Reip. Argentinensis
universitate ordinis.*

Pro summis in utroque jure honoribus, Privilegijs
Immunitatibus Doctoralibus ritè ac legi-
timè consequendis.

*Publico & solenni eruditorum exa-
mini subiicit*

Mense Martio 1648. f. 23.

JOHANNES HEINRICUS WIELAND
Richovila-Alsatus.

*ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS-PHILIPPI MüLZI
Academiae Typographi.*

V I R I S

Generosa Nobilitate, Amplitudine, Prudentia, Auctoritate, Gravitate, Rerumq; gerendarum dexteritate

Eminentissimis, Praecellentissimis, Splendidis, Eximiis

DN. NICOLAO LUDOVICO Wurmsern à Vendenheym.
DN. JOHANNI JACOBO Meyern.
DN. JOHANNI JACOBO Müegen.
DN. ISRAELI Dieffenbachern.
DN. JOHANNI CASPARO Pfükern.
DN. JOHANNI WOLFGANGO Heslern.
DN. JOACHIMO Bockenhofern.

INCLVIAE LIBERÆ REIPUBLICÆ ARGENTINENSIS

*Prætori, Consuli, Quindecimviris, Viginti
unumviro, Senatus maioris
Assessoribus*

CANCELLARIAE INSPECTORIBUS

Dominis Mecœnatibus, Patronis, Promotoribus atque
Fautoribus meis, Summis, Maximis,
Optimis.

Disputationis hujus inauguralis dedicatione

*Submissam observantiam, & devotum animum
contestari volui.*

JOHANNES HEINRICUS WIELAND
Richovilla-Alsatus.

Divino



Divino implorato auxilio.

THE S. I.



Uamvis honores Doctorales non ijs decernantur, qui particularem tantum aliquam Jurisprudentiae materiam callent, sed qui omnium ejus partium, si non perfectam at fundatam cognitionem habent, non tamen puto hinc firmiter colligi, quod inconscribendis disputationibus inauguralibus, ad eos honores consequendos institutis, omnia quae in scientia legali didicimus, vel saltē legimus, effutiri possint aut debeant, multò minus, quod ijs, qui materiam particularem examinandam proponunt, eorum numero sint habendi, qui præter id thema, quod tractant, parūm intelligunt. Quapropter non dubitavi, hanc ex materia locationis conductionis depromptam particulam L. 8. C. de Locat. Cond. loco disputationis inauguralis, discutiendam exponere. Cujus tractandæ causa vel sola quotidiana frequentia sufficiens esse potuit, arg. L. 25. ff. de liber. legat. Cui accedit insignis ejus, ex Dd. in diversas sententias abeuntium dissensu, nata difficultas: Unde operæ pretium duxi ex tot tantisque varietatibus, ea quae juri consentanea videntur, enucleare. Quod licet ingenii mei modulum atque judicij vires superare diffiteri non possum, cum tamen in magnis & arduis rebus conatus potius laudetur quam vituperetur, cum primis ubi quis ad suum modum diligens est, L. 32. ff. depos. atque ita voluisse sat sit, ideo spero, me si communi omnium hominum vitio errem, eò facilius apud benevolum lectorem excusatum iri quo difficilior ipsa res est. Qua spe fretus, invocato prius divino numine, ut laboribus his legalibus, principium, medium & finis esse velit N. 109. pr. nunc vela pando.

2. Cum autem in omni tractatu, verba prius sint cognoscenda, L. 1. pr. ff. de Iust. & Iur. L. 1. ff. de reb. credit: L. 1. pr. ff. de prævaricar:

A 2 quip-

quippe quæ voluntatem dicentis demonstrant L. 7 §. 2. ff. de suppell.
legat. ideo ea quoque vocabula quæ in L. nostra præ alijs præcipua
videtur, paucis prælibabimus, exemplo Ulpiani in L. 4. §. 1. & LL.
seqq. ff. de ius voc. L. 2. & seqq. ff. de his qui not. infam. L. 5. §. 6. & seqq. ff. de
his qui effud. vel desec. L. 21. §. 2. 3. ff. de noxal. act. & alibi.

3. Antequam verò ad ipsa vocabula L. accedamus, videbi-
mus personam tum rescribentem tum impetrantem. Author Con-
stitutionis hujus est, M. Aurelius Alexander Severus, repetendo in-
scriptionem à l. 4. ht. qui anno nati Christi 224, juxta Charond. aut
226. secundum Cuspinianum: *Nobiliss. Ampliss. Consultiss. Dn. D. Tab:
Præceptor, Promotor, & Patronus æviternū colendus de contract. & jur. so-
eid. c. 1. n. 5. & 7.* vel ut Helvic. in theatro historico numerat Anno
Christi vulgari 222. admodum juvenis Heliogabalo successit, *Eu-
trop. lib. 8. in fin.* Ubi non prætereundum, quod ibidem singulari-
ter notatur, Alexand. Assessorem habuisse vel Scrinij Magistrum Ul-
pianum; juris conditorem quod, *Ampliss. Dn. D. Tab supra laudatus. d.
c. 1. n. 9. ex Lamprid quoq; refert.* Unde perspicuum est h. ut & alias
Alexandri LL. ab eodem Ulp. fuisse dictatam, cuius est quoque tex-
tus parallelus l. 15. §. 2. ff. *Locut. Cond.*

4. Persona implorans est Higinius, vel, ut quidam legunt,
Hyginus, quod nobis indifferens. Hoc unicum hic notabimus,
quod, cum hoc rescriptum sit subscriptio facta ad libellum personæ
privatæ de negotio privato ea referenda sit ad eam speciem consti-
tutionum Principum, quæ *Annotatio* vocatur, C. I. A. de Const. Princ.
tb. 33. *Nobiliss. Ampliss. & Consultiss. Dn. D. Bicc facultat. juridicæ h.t. Decanus
spectab. Præceptor, Patronus, & Promotor perpetim honorandus Rer. quotid-
Præloqu. tb. 40.*

5. Sequuntur nunc verba textus: Licet certis annuis quan-
titatibus fundum conduixeris. Certum quot modis in jure nostro
acciipiatur, latissimè videtur est apud Alciat. ad L. certum est. 6 ff. de reb.
credit: quæ huc transcribere otiosum, sufficiat hic indicare, certam
quantitatem esse eam, quæ qualis, quantaque sit ex ipsa pronunci-
atione apparent, L. 74. ff. de V. O.

6. Annui verbum præter varias adjectiones quas in materia
legatorum habet, ut videre licet ex l. 37. pr. ff. de leg. 3. l. 3. ff. de annu. leg.
l. 30. ff. de legat. 1. etiam alijs vocabulis adjicitur, ut cum dicimus, an-
nuos redditus, & hic, annuam pensionem, ubi annum est, quod
quotannis solvitur.

7. Quan-

7. Quantitas quoque in jure nostro non uno modo dicitur: uti ex Brisson: patet. Ex tribus autem significationibus ab eodem relatis prima hujus loci est propria, qua significat pecunia summam, uti & acipitur in l. 11. ff. de compensat. quia analogiae juris, in locatione conductione pecuniam numeratam requirent, Nobiliss. Ampliss. & Consultiss. Dn. D. Bicc. prefato titulo laudandus, Rer. quotid. sect. 4. th. 96. C. I. A. Locat. Conduct. th. 25. pr. magis convenit: add. & l. 25. §. 6. ff. Loc. Cond.

8. Fundi appellatio quæ contineat, videri potest ex l. 60. 115. & l. 211. ff. de V. S. ubi & Gædd. Et licet hie in generaliori quoq; significatione d. l. 115. possit accipi, tamen puto, melius & verius sumi juxta communio rem, quæ est in d. l. 60. intelligendumque locum sine villa. Conducere hoc in loco ut & alias, significat sub certa mercede utendum quid suscipere, C. I. A. loc. cond. th. 4. pr.

9. Pergit Imper. Sitamen expressum non est in locatione (ut mos regionis postulabat.) Exprimere est palam & aperte significare, atque opponitur $\lambda\varphi$ velle, seu voluisse in l. si duobus 16. §. ult. ff. de legat. 1.

10. Locationis Homonymia videri potest in C. I. A. locat. Cond. th. 1. hic pro ipso contractu sumitur. cuius definitio est ibi: th. 2. Wes. in π. ff. eod. n. 3.

11. Mos hic non denotat eum tacitum populi consensum, qui longa consuetudine in vetratus, jus constituit non scriptum, de quo §. 9. I. del. N. G. & C. Ulp. tit. 1. §. ult. sed ipsum jus moribus constitutum, ut l. 9. pr. ff. de pæn.

12. Regionis vocabulum, dictum à regendo, qod ab initio regiones sub Regibus erant, hic de provinciæ parte dicitur. Sunt præterea & regiones Urbis Romæ 14. ut patet ex l. 3. pr. ff. de Offic. Præf. vigil. sicut & fundi quoque regiones dicuntur, l. 7. ff. Commun. divid. l. 8. 29. ff. de A. R. D. Sed hæ significationes nobis sunt alienæ.

13. Porro superfluum videtur monere, postulandi verbum hic non sumi ut in tit. ff. de postul. sed vulgariter pro requirere, aut exigere.

14. Unde pergimus in textu; Ut si qua lue tempestatis, vel alio cœli vitio damna accidissent. Pro lue quidam legunt Labe, forte ex l. 15. §. 2. ff. loc. cond. quæ labes quid sit, videre licet apud Pantzschm. lib. 1. q. 5. n. 9. Magnif Dn. D. Frantz. in Comment. tit. ff. locat. Cond. n. 98. Lues autem teste gl. significat quandam pestem sive corruptionem ex aliquo elemento provenientem.

15. Tempestas est cœlestis quædam injuria, seu damnum cœlo datum, & est vel terrestris vel maritima l. 2. §. 6. ff. si quis caut. Illa continentur quoque nives immoderatae l. 78. §. f. ff. de contrah. Empt.

16. Cœli vitium quidnam hic sit, posset disputari & dubitari: breviter, cœlum hic sumitur pro aere, subjectivè, ut in l. 1. § 1. ff. de A. R. D. & ib. Gothofred. l. 1. §. 2. ff. de Cloac. l. 26. pr. ff. defurt. Species autem hujus vitij defumi possunt ex l. 15. §. 2. ff. loc. Cond. ut sunt, uredo, solis fervor nonadsvetus sturni, graculi, locustæ l. 18. C. eod. Cuiac. 15. O. 28.

17. Damnum ab ademptione dictum l. 3. ff. de damn. in f. potest hic cum Gædd. ad l. 81. ff. de V. S. n. 3. definiri omnis impedita & prærepta utilitas: non autem accipitur hic ut in d. l. 3.

18. Accidere, idem denotat quod evenire, seu præter factum nostrum aut imprudentibus nobis contingere. Hinc patet ea damina hic intelligi quæ vocantur fatalia, l. cum duobus § 2. §. 3. ff. pro Soc. l. 2. §. 7. ff. de adm. rer. ad civit. pertinent.

19. Subjicit Alexander: Ad onus tuum pertinerent; Hæc verba à JC. Ulpiano, Alexandritutore, hoc modo proferuntur l. 15. §. 2. ff. loc. cond. damni coloni esse, item damnum coloni esse. Otiosum itaque foret varias vocis Oneris significationes adducere, cum clarum sit, hic in genere id innui, quod alicui cum incommoditate & damno ferendum est.

20. Progreditur Imp. Et quæ evenenerunt sterilitates. Quod ante dixit de daino, contingere, id nunc de sterilitate vocat evenire. Sterilitatis autem vocabulum in jure varijs rebus attributum legimus, dicitur enim sterilis pecunia l. 7. ff. de usur. l. 3. §. 4. ff. de contr. tut. & util. act. sterilis dos l. 4. f. ff. de pact. dotal. hoc loco de fundo dicitur. In genere autem sterilis res est, quæ sine fructu est. Auth. sicut C. de SS. Eccl. N. 7. c. 12. Pantzschm. 1. q. 1. n. 2. & 24. Quomodo vero speciatim in quæstione hujus legis sit definienda, variè inter Dd. discetur, qua de re infra.

21. Subjungitur in textu: Ubertate aliorum annorum repensatae non probabuntur. Ubertas cum sterilitati opponatur, ex oppositione ejus dignoscendum est quid sit, contraria enim contrariis dignoscuntur: Qualis autem requiratur ubertas ad compensandam sterilitatem annorum steriliūm infra dicetur.

22. De anni diversitate, & variis divisionibus hic non va-
cat

399.

cat dicere, ut nec de probatione tum sterilitatis, tum ubertatis, de qua infra.

23. Sequitur in textu: Rationem tui juxta bonam fidem haberi rectè postulabis. Ratio hic idem est quod respectus seu consideratio ejus quod convenit rei aut personæ, l.i. §. pen. ff. si quadrup. paup. fec. . dic. Bona fides autem hic videtur accipi pro ipsa æquitate, ut l. 29. §. 4. ff. mand. seu aquo & bono ut in l. 45. §. 1. ff. Loc. Cond.

24. Concludit tandem Imp. Alexander : Eamq; formam qui ex appellatione cognoscet, sequetur. Formæ nomen latissimè patere scribit Briffon. libr. 6. verbo *forma*, hic tamen puto indigitari formā juris ut l. 42. ff. de pact. l. 22 ff. de minor. l. 31 ff. de admin. & peric. tut.

25. Verba sequentia, qui ex appellatione cognoscet : judicem appellationis describunt, qui & dicitur de appellatione cognoscere l. 6. C. de appellat. Vocatur & alias simpliciter judex l. 15. & pass. C. eod. tit.

26. Ettantum ad verba hujus L. annotasse obiter sufficiat. Subscriptione, anno & consulatu, hæc, ut cæteræ h. t. LL. notata non est: Unde ad reliqua pergimus, & nunc ad partitionem textus quam dichotomicè atque facillime ita proponimus.

Constitutio hæc & continet.	Responsionem ad quæstionem ubi habetur tum	Ratio dubitandi pr. Decisio ipsa, quæ	1. Nisi in locatione expressum, ut dam- num ad conducto- rem spectaret vers. si tamen. 2. Nisi sterilitas cū ubertate aliorum annorum repensa- ta proberet: vers. & quæ evenerunt.	Proponitur: vers. rationem.

Judicis informationem: vers. eamque formam

27. In summa autem hoc dicere voluit Imp. Alexander, juxta Baldum, propter sterilitatem fit remissio, nisi cum ubertate compensetur. Vel si malis cum Salyceto: Remissio congrua debet fieri propter sterilitatem, nisi aliud fuerit conventum, vel nisi tanta fuerit ubertas aliorum annorum, quod possit condigne compensari cum sterilitate. Quam summam eodem sensu habet Sichard. ad h. l.

S. n. I.

8.n.1. Überius eam proponit *Pac. in Anal. Cod. de locat. Cond. n. 27. memb.*
3. hoc modo: Pensio propter sterilitatem remittitur seu minuitur,
si modo damnum vi majore & præter consuetudinem, puta cœli vi-
tio contigerit; nec pacto in se periculum conductor receperit; nec
annorum quorundam, sterilitas compensata sit cum aliorum anno-
rum ubertate.

28. Casum, seu speciem facti gl. quidem format, sed & cir-
cumstantias quasdam omittit, & vocabulum quantitatis contra
analogiam iuris exponit, unde plenius ita proponimus factum.

29. Higinius conduxit fundum à T. in quinquennium, pro
certa pecuniæ quantitate putà 30. aureis quotannis præstanda;
Tertius aut quartus annus fuit sterilis: Higinius ejusdem anni
petit à T. remissionem mercedis, T. eam præstare non vult. Res de-
volvit ad G. judicem qui remissionem faciendam negat, & Higi-
nium ad præstandam pensionem condemnat. Higinius ab hac sen-
tentia appellat, ad immediatè superiorem & simul preces Imp. Ale-
xandro offert Alexander contra sententiam latam rescribit, &
dicit, faciendam Higinio remissionem, nisi aut H. periculum in
se susceperit, aut sterilitas præsentis anni cum ubertate præceden-
tium compensata sit.

30. Cum itaque judex prioris instantiæ, à cuius sententia
Higinius appellavit, quæque hoc rescripto corrigitur, non sit præ-
sumendum officium suum vel ignorasse vel contempsisse, & proinde
aliter judicasse, quam LL. constitutionibus & moribus proditum
est, contra pr. I. de Offic. jud. Nobil. Amplif. & Cons. Dn. D. Tab. in Disp. de
Offic. judic. pass. & præsertim §. 6. 7. & 8. Ideo videamus, quibus forte
rationibus innixus hanc sententiam tulerit: in primis cum ea non
dicatur nulla sed per appellationem corrigenda.

31. Et gl. quidem in verbo quantitatibus, geminam indi-
cat rationem dubitandi, quarum primam desumit ex verbo annuis,
quod scil. cum annua fuerit merces, & si nihil perciperet, tamen vi-
deretur cogendus ad solvendam pensionem integrum.

32. Alteram ponit in vocabulo certa, quia cum certa erat
merces, sicut non crescebat, licet multos haberet fructus, sic nec
diminui videbatur, licet paucos vel nullos colligeret, quod JCtus
Gajus in l. 25. § 6 ff. Locat. Cond. ita videtur efferre, cum immodicum
lucrum conductori non auferatur, sequitur ut damnum æquo ani-
mo ferre debeat. vid. latius Sichard. ad b. l. n. 1. ubi hanc rationem du-
plici

400.

iplici ratione illustrat, quod nempe, 1. Contrariorum eadem sit disciplina & ratio, 2. quod secundum naturam sit ut qui commodum sentit, idem quoq; incommodum sentire debeat & contra l. 10. ff. de R. I. l. 22. §. 3. C. de furt. Salyc. h. col. 1.

33. Aliam porro dubitationem suppeditat Sichard. ad d. l. n. 3. ex eo, quod cum locatio conductio sit similis Emptioni venditioni, l. 1. l. 2. pr. & §. 1. ff. loc. cond. pr. & §. 2. l. eod. De E. V. verò expressè constitutum sit, quod post eam perfectam omne periculum ad Emptorem spectet, l. 8. pr. ff. l. 1. C. de peric. & commod. rei vend. Idem E. videtur dicendum de locatione conductione, eò quod de similibus idem sit judicium.

34. Verum non tanti momenti hæ & similes, quæ ulterius adduci possent rationes fuerunt, ut Imp. ad approbandam & confirmandam judicis prioris sententiam inducerent, sed contrarium statuit. Et quamvis quicquid Principi placuit legis habeat vigorem, l. 1. pr. § 1. ff. de Constit. Princ. §. 6. l. de l. N. G. & C. & per consequens nec rationem placitorum reddere videatur cogendus, paucis tamen ostendemus Imp. nostrum maximè secundum LL. respondisse, & meritò sententiam judicis prioris correxisse.

35. Primam rationem decidendi adducimus ex Paul. Castr. in l. 15. §. 2. ff. loc. cond. n. 4. Quod locatio conductio in effectu quasi venditio quedam fructuum sit, sed talis, quæ conditionem si nascentur, vel antequam à solo separentur, corruptantur, implicant, quo facto conditio deficiat & ita pretium non debeatur. l. 39. § 1. ff. de contrah. Empt. l. nec Emptio 8. pr. C. eod. Hæc ratio concinna sat foret, nisi 1. contractum transformaret & ex Locat. Conduct. E. V. faceret, cum tamen contractus nominati, quales hi sunt, ideo sic vocentur, quod ex sola eorū appellatione natura eorū possit cognosci, Nobil. Ampl. & Consult. Dn. D. Bicc. præfato honoris titulo nominandus, Rer. quotid. sect. 4. th. 16. & not. lit. b. unde à nomine & forma certis, certi dicuntur in l. 9. pr. ff. de Reb. cred. Magnif. Dn. D. Rebb. Preceptor, Promotor, & fautor summo semper honore colendus Isag. Iustin. Disput. II. th. 21. & 22. 2. nisi tacitam conditionem contractui insereret, cum tamē in contractibus omissum habeatur pro omissio l. 99 ff de V. O.

16. Et hoc ultimo vito laborare quoque videtur ea ratio decidendi, quam Bald. in h. l. n. 4. affert, quod partes censeantur sub ea conditione contraxisse, salva scil. rei substantia.

37. *Dn. D. Frantz̄k. in Comment. ad t. ff. loc. cond. n. 94.* huic rationi Castrenſ. aliam subneſtit, quæ ſimul differentiæ inter E. & V. & Loc. Cond. rationem reddit, dum dicit, quia conductori non debetur res ut ſua, & ut ſpecies quædam, ſicut in E. V. res debetur Emp̄tori, ob quod venditor tanquam ſpeciei debitor illa pereunte liberatur, ſed ſaltem patientia uſus rei l. 15. §. 1. ff. loc. cond. unde periculum uſus ſeu fructuum ita ad illum non ſpectat, niſi damnum forteſit modicum, quod æquo animo fetre debet, l. 25. §. 6. ff. eod. *Valaſc. quest. de Iur. Emphyt* 27. n. 26. circa finem.

38. Eodem fere recidit *Wef. in π. ff. loc. cond. n. 16. f.* ubi dicit, cum merces ob uſum rei præſtetur, & quum eſſe ut quia ea uti nequit, illi fiat pensionis remiſſio. Et hæc ſimplicior proximè accedit ad rationem Ulp. in d. l. 15. §. 2. f. ibi. oportere enim agrum præſtari conductori, ut frui poſſit. Quorūm etiam tendit ratio ab ipſo Imper. in textu noſtro data, ibi. rationem tui juxta b. f. haberi quæ b. f. requirit in Locationis contractu, ut conductor liberè & plenè debeat frui re conductor. l. 7. 8. 9. d. l. 15. §. 1. & 2. l. 27 ff. loc. cond. eaq; locationis conductionis viſ eſt, ut locator præſtet uti frui licere l. 24. §. 4. l. 25. §. 1. l. 33. l. 60. pr. ff. eod. *Dn. D. Frantz̄k. in Comment. eod. n. 77.* Quin & penſio datur pro fructibus l. si olei 21. C. de Loc. Cond. ibi: fructus anni locasti, defiſientibus itaque fructibus, debeat etiam penſio defiſere.

39. Denique ratio generalis hujus juris conſtituti eſt, quod caſus fortuiti, qui nullo humano conſilio prævideri poſſunt, nullo b. f. iudicio, quale eſt quoque iudicium locati, l. 2. 9. 17. 21. & 22. C. de loc. cond. præſtantur. l. 6. C. de pignor. a. t. l. 1. C. deposit.

40. Quo autem deſiſio hæc Imp. cum ejus rationibus clarior fiat, eas quoque rationes dubitandi, quæ ante pro iudice prioris instantiæ & ejus ſententia allata fuerunt breviſſimiſ refellemus

41. Quoad primam igitur, quæ in verbo annua & ita in adjectione temporis certi rationem ſingularitatis ponit, ea exigui, vel potius nullius eſt momenti. Omnis enim locatio in certum tempus fit, vel fieri debet, & id vel in perpetuum, ut l. 10. C. b. vel in annum l. 1. §. 4. de migr. vel in ſemestre d. l. 1. §. 4. vel in luſtrum l. 13. §. ult. ff. loc. cond. & ſic conſequenter. C. I. A. eod. t. th. 12. n. 8. Quin imò, ſi nullum tempus fuerit adjectum vel expressum, tunc ipſo iure tempus conſtituitur, in rusticis quidem prædijs annus, in urbanis autē tamdiu quoad alterutem contractui renunciet d. l. 13. §. ult. ff. loc. *Wef. in π. ff. eod. n. 8. f.* *Moz. de loc. cond. c. 3. n. ult. & c. 4. n. 5. & 6.* Absurdum igitur

igitur est id quod necessariò ad contractum requiritur, præter natu-
ram ejus singulare quid efficere. vid. quoque Salye. ad h. l. opposit. 2.
& Panormi: in c. propter extra h. t.

24. Secundam quod attinet, verum quidem est, contrario-
rum eandem esse rationem, & argumenta à contrario esse valida
teste Everhard. in topic. legal. loc. 19. pr. l. 1. pr. vers. hujus rei ff. de offic. ejus
cui mand. est jurid. Sed varias ea argumentatio patitur limitationes,
& inter alias hanc quoque, nisi contrarium sit expressum in jure
l. 2. C. de condit. insert. c. cum virum 12. Extra de regul. & trans. ad relig. c. à
nobis 28. vers. nec obstat Extra de sentent. excommunic.

43. Sicut nec altera ratio ex l. 10 ff. de R. I. perpetuo simpli-
citer procedit, ut videre est apud Dec. Cagnol. & alios in d. l. 10. Dyn.
ad c. quisentit. 55. extr. cod. Bart. Bald. & Dd. communiter in l. is qui 13.
§. si quem quæstum l. ff. commod. Cyn. ad l. 16. C. Locat. n. 4. Quod autem
ex l. 25. §. 6 ff. loc. cond. adducitur, id pro sententia hac nil probat, lo-
quitur enim JC in d. vers. de modico damno.

44. Ad tertiam quæ argumentum à simili continet, & ab
E. V. ad Locat. Conduct. concludit, Respondeo, 1. in genere, omne
simile claudicare, & nullum simile currere quatuor pedibus. 2. in
specie, argumentum hoc loco non procedere, eo quod principale
requisitum ejus argumentationis deficiat, scil. ut similitudo inter
res comparatas in eo punto intercedat, in quo fit comparatio, Ampl.
& Consultiss. Dn. D. Biccini, iterato honoris titulo nominandus, in Comment.
ad l. 3. §. 5 ff. de A. V. A. P. quæst. 13. vers. quo ad secundum pag. 201. Et ita etiam
intelligendum, quod in l. 1. l 2 pr. & §. 1 ff. pr. & §. 2. l. loc. cond. E. V. Lo-
catio & conductio ijsdem juris regulis consistere dicuntur. Nec
putandum velle JC omnes regulas easdem esse, sed saltem ali-
quas: quarum præcipua notantur, ab Ampliss. Consultiss. Dn. D. Bic.
modo laudat. Rer. quotid. sect. 4. th. 96. lit. r. Alias enim non essent si-
milia sed eadem. Adde rationem differentiae in hoc articulo inter E.
V. L. C. notatam ad rationem decidendi 2. & Cyn. ad h. l. n. 3. Abb.
Panormi. ad c. propter. 3. extra de loc. & cond. n. 3. Gothofred. ad l. 25. §. 6 ff.
locat. cond. verbo debet.

45. Nunc ordine cœpto exigente ~~noeisprata~~ ex textu veni-
unt elicienda, & quidem varia ex deductione hactenus facta pos-
sent depromi, sed brevitatis studio unicum hoc excutiemus, An &
quatenus ob sterilitatem colono sit facienda remissio mercedis Fiet
id breviter, & maximè conabimur id præstare, ut ex diversis & va-

riis Dd. circa hanc quæstionem subortis opinionibus, eas quæ vero & juri convenire videntur, feligamus.

46. Quæstionem, An sit, quod attinet, indubitatem ea habet affirmatione ex l. 15. §. 2. ff. b. l. 18. C. de loc. Cond. c. propter 3. extra eod.

47. In quæstione quatenus sit multæ occurunt difficultates, nos ordine procedemus, & videbimus quæstionis tum subjectum tum prædicatum. In subjecto cum Dn. D. Frantz. explananda sterilitatis & qualitas & quantitas.

48. Quoad qualitatem intrepidè cum eodem Dn. Franzk. dicimus requiri talem sterilitatem quæ oriatur forinsecus, propter vitium vel casum externū cui colonus resistere non possit, excludit autem eam sterilitatem quæ vitio rei & ex ipsa re contingit atque oritur, ut exempla sæpe laudatae l. 15. §. 2. ff. loc. cond. & verba textus nostri, ibi: *ut si qua lue tempestatis vel alio cœli vitio damna accidissent, aper-* tè docent. *Castr. in d. l. 15. §. 2. n. 2. Pantzschm. lib. I. q. 5. n. 1. Valasc. quæst. Iur. Emphyt. 27. n. 41. f. Moz. de loc. cond. c. 5. n. 9.*

49. Huc responsioni & traditioni graviter obstat c. propter 3. extra de loc. & Cond. quod remissionem mercedis concedit, et si vitio rei contingat sterilitas. Movit hæc constitutio Pontificis contraria J.C. gl. ad inquirendam conciliationem, & quidem talem in d.c. proponit ut distinguendum putet, an conductor facultatem occurrendi casu fortuito habuerit, nec ne, ita ut, d.c. de illo, l. a. 15. §. 2. ff. loc. cond. de hoc casu accipiatur, quam sequitur Valasc. Iur. Emphyt. quæst. 27. n. 25. f. vers. quandoq; v. & quinto; allegans Dd. com. ad d. c. & Hostiensem de loc. n. 7:

50. Verum hanc gl. & Dd. conciliationem divinatoriam dicit, & rejicit Gregor. Lopez. 16. *Animadvers. jur. Civil. n. 8.* Ipse autem distinguit inter vitia interna contingentia seu fortuita & non contingentia seu consueta, & Jctum in l. 15 §. 2. intelligendum dicit de non contingentibus, Pontifitem autem in c. 3, de contingentibus.

51. Cujac. 26. Oi 32. putat textum c. 3. corrigendum ex l. nostra 8 & dicit mentem fuisse Pontifici scribere & fortean scripsisse vitio cœli ex d. l. 8. utpote qui, quod in aliis plerisque capitulis scripsit, ex Jure civili sumpserit. In commentario autem ad sæpe d. cap. 3. amplectitur communiorum gloss. & Dd. conciliationem atq; distinctionem: Cui nos quoque subscribimus.

52. Porro circa hunc articulum quæritur. Annon si forte omnis

402

omnis fructus vitio rei extictus sit, colono facienda sit remissio
mercedis? Quod Aretin. cons. 52. Pinell. ad l. 2. C. de reso. Vend. p. 1. c. 3. n. 23. af-
firmant, ex saepe d. l. 15. §. 2. vers. sed & syllabes ff. loc. Verum id negan-
dum verius putant & probant Dn. D. Frantz. d. com. ad. t. loc. cond. n. 98.
& Pantzschm. lib. I. q. 5. n. 8. & seqq.

53. Denique hic quis non immerito interroget, quod nam
vitium sit externum, quodve internum seu rei? Sive, quando vitia
extra rem, vel ex ipsa re accidisse dicantur. Ubi Dd. iterum variant,
Nos brevitatis studio earum opinionum discussionem mittimus,
& cum Pantzschm. d. q. 5. dicimus, vitium extrinsecum esse, quod ex-
tra ordinem seu præter consuetudinem vi tempestatis, inundatione,
incursu hostium & latronum, intemperie aeris inconsueta, vel plu-
viarum & nivium abundantia aut siccitate accidit, laudatus Dn. D.
Frantz. d. com. n. 99. Pantzschm. d. q. 5. n. 2. & seqq. ubi ad dissentientium
argumenta respondet. Internum autem seu ex re ortum dicimus,
quod ex ipsa re & ejus debilitate directa & intrinseca, nulla eviden-
te causa extrinsecus apparente oritur. dict. locis.

54. Nunc paucis quoque de quantitate sterilitatis videndum
& inquirendum, quanta requiratur sterilitas ad hoc ut remissio
mercedis fiat? Quo in puncto mira quoque occurrit Dd. varietas
(ne scil. ullus articulus sine dubio esset) ut videre licet apud Valasc. d.
quest. de Iur. Euph. 27. n. 24. ubi sex, Pantzschm. d. l. 1. quest. 1. n. 1. & seqq.
ubi octo diversas Dd. opiniones recenset. Ipse v. n. 32. & seqq. eam
ut veriorem arripit, quæ judicis arbitrio definiendum relinquit, u-
trum sterilitas extiterit nec ne, & an damnum datum intolerabile:
sit vel modicum, cui assentitur C. I. A. 19. ff. 2. th. 33. n. 6.

55. Nos cum Nob. Dn. D. Frantz. d. comment. n. 103. Pantzsch-
manni & C. I. A. opinionem ita amplectendam censemus, dummo-
do arbitrium judicis ex opinione vulgi communi, sterilitatem esse
judicantis, instruatur, & calamitas tanta sit, ut valor fructuum de-
ductis impenfis, non ascendat ad dimidiam pensionis promissæ, at-
que operæ rusticæ suo quæque tempore convenienti factæ sint, Dn.
D. Wurmsser in Nucl. Iur. controv. lib. 3. r. 25. contr. 13. n. 9. & 19. Maul. tract.
de loc. cond. tit. 6. n. 20. Mæv. in seinem Rechtlischen bedenken über unter-
schiedliche Fragen, so in Sachen der Grundherren vnd Pensionarien
entstehen. n. 17. & seqq.

56. In prædicato occurrit perpendendum, I. qualis co-
lonus hic intelligatur? Sicilicet non partiarius, sed qui ad pecu-
niam

niam numeratam conduxit l. si merces 25. § vis major. 6 ff. loc. tam is qui
in unum annum conduxit, cui pensio simpliciter remittitur, quam
qui in plures annos, cui quidē remissio fit, sed resolutivē & ita, ut si
anni subsequentis ubertas contingat, anni quoq; præcedentis pen-
sio integra solvatur, l. 15. §. 4. ff. loc. cond. dummodo hoc casu pensio
distributivē in singulos annos sit constituta: si n. conjunctim & col-
lectivē pro omnibus annis simul dicta sit, remissio non fit pro anno
sterili si quis contigerit, sed locatione finita respectu totius tempo-
ris Valas. de jur. Emphyt. quest. 27. n. 29. fac. l. si duos. 44. ff. de contr. Empt.
l. scire debemus 29. ff. de V. O.

57. II. Inspiciendum quanta sit facienda remissio mercedis?
Ubi Dd. non minus ac in reliquis, variant; Pantzschm. lib. I. q. 3. n. 1. tres
diversas sententias enumerat, ipse autem n. 5. eam ut veriorem reti-
net quā remissionem in totum faciendam dicit, computata fructuū
parte percepta: Quā sententia ita concessa atque posita, necessariō
hanc præsupponit opinionem, quod in denominanda quantitate
sterilitatis, tanta requiratur, ut fructus, deductis impensis, non ex-
quent dimidiā partem pensionis promissæ, & ita res determinetur
juxta l. 2. C. de resc. vend. quam opinionem tamen Pantzschm. q. I. n. 13.
multis argumentis rejecerat.

58. Nos, salva autoritate Pantzschm. qui alias in hac ma-
teria non immeritò Principem obtinet locum, putamus tutius arbi-
trio judicis committi dijudicandum quanta fieri debeat remissio,
perinde ut eidem fuit concessa dijudicatio quantitatis sterilitatis,
cum correlativorum (qualia sterilitas, & remissio mercedis) idem
sit judicium, & quod de uno positum ad alterum sit trahendum l. ult.
ff. de acceptil. 41. & ibi: Gothofr. ff. de R. I. idque adeo magis, quod ex-
dem rationes, quā judicis arbitrio declarandum relinquunt, an ste-
rilitas contigerit, necne, huc referri possint.

59. In hanc remissionem venit tantum exoneratio mercedis
pro rata l. 15 §. 7 ff. loc. cond. non autem id quod interest, arg. l. 33 ff. eod.
quia (ut Gothofred. ad d. §. 7. notavit) id quod interest excedit merce-
dis ex onerationē, vel potius quod causarum ex quibus ad interesse
potest agi nulla hic subsit, scil. nec mora, nec factum adversarij, V.
C. I A. de R. jud. th. 14. Pantzschm. lib. I. q. 2. n. 2. & 3. Dn. D. Mævi. d. tract.
quest 3. per tor: ubi tamen tres exceptiones ponit. i. Si facto loca-
toris colonus damnum passus sit: gl. in l. 15. C. de loc. cond. verbo ex con-
ducto. aut si damnum ex inimicitia contra locatorem, licet sine ejus
culpa.

culpa sit datum Pantzschm. q. 14. n. 57. 2. si locator casum fortuitum, cum potuerit, non averterit, Mæv. d. q. 3. n. 364. 3. Si locator conductorem de imminentis tempore contractus impedimento non certioraverit: d. q. 3. n. 365. & 366. sed de hoc potest dubitari.

60. Absolutis his, quæ ad thematis propositum subiectum, tum prædicatum notanda obiter videbantur nunç paucissimis ejusdem tum ampliationes, tum limitationes delineabimus.

61. Procedit autem regula & assertio hæc (1.) Sive à vi divina, sive humana sterilitas proveniat, l. 15. §. 2. ff. loc. cond. l. 25. §. 6. eod h. l. §. C. eod. Gail. 2. O. 23. n. 2. Maul. de loc. cond. c. 6. n. 22. Sive sit sterilitas particularis unius aut alterius fundi sive universalis anni, quæ duo tamen in probatione differunt. Valast. quæst. de jur. Emphyt. 27. n. 25. p. m. 306. & p. 307. f. n. 25.

62. (2) Sive vera fuerit causa impedimenti, sive justus saltē & non vanus timor. l. 27. §. 1. ff. l. cond. Valast. d. q. 27. n. 13. p. m. 297. Mæv. d. tr. n. 190. & multis seqq. Ubi queritur, An colonus ob timorem migrare volens, id domino denunciare teneatur: quod Valast. d. n. 13. vers. ult. Affirmat & alij multi allegati à Pantzschmanno lib. 1. q. 4. n. 11. ubi pro affirmativa hac sex rationes adducit, quas tamen à n. 26. usque ad fin. reiçit, & à n. 12. usque ad 25. negativam veriorem probat. adde Maul. d. c. 6. n. 23.

63. (3) Sive sit prædium rusticum sive urbanū: inquilino enim quoque faciendam remissionem statuit Pantzschm. q. 1. n. 37. & q. 2. n. 13. add. l. 27. pr. & l. 30. pr. ff. locat. cond. cum ea tamen distinctione, ut si urb: præd: sit conductū pro sola habitatione, remissio fiat pro rata, sii v. ad cauponā exercendā aut hospites recipiendos, non aliter nisi dāmnū sit intolerabile, Pantzsch. d. q. 2. n. 14. Magn. Dn. D. Franz. d. com. n. 119. & seqq. Gail. 2. O. 23. n. 3.

64. (4) Sive locatio facta sit in unum annum sive in plures. cum distinctione tamen supra num. 56. allata Pantzschm. d. q. 2. n. 15.

65. (5) Etiam in contractu innominato, si res locetur pro certa quantitate fructuū, ratione ea, quod contractus in nominatus judicetur secundum naturam eius cui assimilatur l. 1. §. 9. ff. depos. Pantzsch. d. q. 2. n. 16. & 17.

66. (6) Licet ad contractum locationis stipulatio accesserit, eo quod stipulatio quoq; induat rationem actionis b. f. cui accedit arg. l. 18. §. ult. ff. si quis cauit. ut vult Pantzsch. d. q. 2. n. ult.

67. (7) Etiam obtinet in conductore vestigalium l. 15. §. 4. ff. loc. cond. Gail. d. O. 23. n. 10. Guid. Pap. decis. 630. n. 1.

Limita-

67. Limitationes quoq; plurimæ hujus assertionis afferuntur. Et Imp. quidem in l. nostra 8. binas innuit ut I. si conductor in ipso locationis contractu, pacto periculum casus fortuiti in se suscepit, l. 9 §. 2. ff. loc. cond. Valaf. d. q. 27 n. 34 p. m. 314 Ubi rursus magna inter Dd. controversia, an sc. generaliter periculum in se suscipiens teneatur de casu fortuito? quam quæstionē Pantz. d. l. 1 q. 6. per tot. ita deducit, ut post undecim relatas sententias, n. 95. concludat, (negato prius generaliter quod simpliciter periculum in se recipiens ad casū fortuitum teneatur) ad hoc ut conductor de casu fortuito teneatur sufficiere casus fortuiti expressionem, neq; necesse esse singulos enumere. Magn. Dn. D. Franzk. d. com. n. 126. Valaf. d. n. 34. Gail. d. O. 23. n. 16 seqq. nec distinguendum hic inter casus fortuitos solitos & insolitos, Pantzschm. q. 7. per totum, imo licet cum juramento in se suscipiat periculum tamen de casu fortito non tenebitur. Pantzsch. q. 10. n. 138. Gail. d. O. 23. n. 19.

68. II. Limitatur hæc sententia. & non procedit regula nostra, si sterilitates ubertate aliorū annorū repensatae sint l. 15 §. 4. ff. l. cond. c. 3. ext. eod. Gail. 2. O. 23. n. 12. Mæv. d. tr. n. 234. & seq. Guid. Pap. d. dec. 630. n. 2.

69. III. Si sit consueta illis locis sterilitas d. l. 15. §. 2. ff. loc. cond. Pantzschm. q. 5 n. 6. Valaf. d. q. 27. n. 34 pr. p. m. 214.

70. IV. Si sterilitas coloni culpa accidat l. 25. §. 4. ff. loc. cond. c. 3. ext. eod. Gail. 2. O. 23. n. 21. Valaf. d. q. 27. n. 39 p. m. 318. Pantzschm. q. 5. n. 34.

71. V. Si damnum contingat in fructibus collectis, Gail. d. O. 23. . 13. Valaf. d. q. 27. n. 50. Mæv. d. tract. n. 142.

72. VI. In colono partiario hæc regula quoq; fallit l. 25. §. 6. ff. loc.

73. VII. Et tandem quoque deficit hæc assertio in Emptore qui donec pretiū solveret, rem emptam conduxit l. 20 §. f. l. 21 ff. loc. cond. Pantzschm. q. 5. n. 18. Valaf. d. q. 27. n. 52. Mevius d. tr. n. 236 quia pensio illa non tam pro fructibus rei locatae quam pro interesse pretij non dum soluti, solvitur, Gothofr. add. l. 20 §. 2.

Atque hæc pro instituti ratione ex difficillimæ & intricatissimæ materiæ tractatione excerpisse sufficiat, quam quidem pro ejus dignitate plenius atque acutius tractatam proponere animus erat, verum, juxta l. 1. f. pr. ff. de Exercit. act. tempus non patitur plenius deliberandi consilium. Unde vela contraho. Deo Trinuno sit Gloria, Laus & Honor in omnia secula.

F I N I S.

X2615944

VDM

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



AUGURALIS 396.

27

NE MER-
A CONDU-
STERILI-

tionem
it. Conduct.

INDIVIDUA

toritate

EG Amplissimi
Reip. Argentinensis

oribus, Privilegijs
s ritè ac legi-
dis.

rum exa-

648. d. 23.

IS WIELAND

s.

RATTI,
IPPi Mühl
raphi.